

1715,8
358

DISSERTATIO IN AVGVRALIS
^{AD}
L.VN.C.NON LIC.HABITAT.
METROCOMIAE LOCA
SVA ADEXTRANEVM
TRANSFERRE,

QVAM
RECTORE MAGNIFICENTISSIMO,
REVERENDISSIMO ET ILLVSTRISSIMO DOMINO,
DOMINO

PHILIPPO VVILHELMO,
S. R. I. COMITE DE BOINEBVRG,

SACR. CAESAR. ATQVE REGIAE CATHOLICAE MAJESTATIS
CONSLIARIO INTIMO ET CAMERARIO, NEC NON METROPO-
LITANARVM ECCLESiarVM MOGVNTINAE ET TREVIREN-
SIS CANONICO CAPITVLARI SENIORE, ET RESPECTIVE SV-
PREMO CHORI-EPISCOPO, EMINENTISSIMI PRINCIPIS
ELECTORIS MOGVNTINI CONSLIARIO INTIMO, AC
CIVITATIS TERRITORII QVE ERFORDIENSIS

PRO-PRINCipe,

IN ANTIQVISSIMA GERANA,

MAGNIFICO JCTORVM ORDINE

CONSENTIENTE,

PRO SVMmis IN VTRQVE JVRE
HONORIBVS ET PRIVILEGIIS

RITE IMPETRANDIS,

D. IIII DECEMBR. A. 1715. 12CC. XV.

HORIS LOCOQVE CONSVENTIS

PVBLINE PROPOSUIT

ERHARDVS REVSCHIUS, COBVRC.

ERFORDIAE, LITTERIS O. F. VVERTHERI, ACAD. TYPOG. Adj.

DISSESTITIO INNOCARINI
LUNCIONI THABRITAT.
METHYOSONI T. LOCA
SALVADORE RARIA
DEO
PHILIPPO VINCENZO
ET
PATRONIS.

MAGNIFICENTIA ORDINE
DIVINITATIS ET DIVINORUM
ERUDITA REAUCHIAS CORRADO



J. J.

L. VN. C. NON LICERE HABITATO-
RIBVS METROCOMIAE LOCA SVA
AD EXTRANEVM TRANSFER-
RE.

*Impp. Leo et Anthemius AA. Nicostrato
P. P.*



N illis, quae metroco-
niiae communi vocabu-
lo nuncupantur, hoc ad-
jiciendum necessario no-
stra putavit humanitas, ut
nulli extraneo illic quo-
quo modo possidendi li-
centia tribuatur: sed si quis ex iisdem vica-
riis loca sui juris alienare voluerit, non licere
ei, nisi ad habitatorem adscriptum ejusdem
metrocomiae, per qualemcumque contra-
ctum

A 2

ctum

ctum terrarum suarum dominium possessionemque transferre: sciente persona extra-nea, quod si contra vetitum se huic negotio immiscere, vel illic possidere tentaverit: qui-cunque contractus initus fuerit, carebit effec-tu, et contractu soluto, si quid praestitum est, hoc tantum reddetur. Dat. Kal. Sept.
Anthemio A. II Cos.

I.



Aput ac summa hujus legis est:
Praeter jus commune habitatori-bus metrocomiae interdicitur
omni fundorum ac praediorum
alienatione in peregrinos, qui
juriū vici istius matricis parti-
cipes non sunt: quod si vero
cum alio, quam qui convicanus
est, de dominii possessionis translatiōne contrahant;
actus iste ipso jure nullus declaratur, ut tamen extra-
neo, etiam scienter ac dolose contra legem contrahenti,
quicquid datum, refundatur.

II.

Causae, quibus hoc rescriptum nititur, ab Imperato-ribus nullae adjiciuntur: possunt tamen illius dari
quaedam *communes*, quaedam *propriae*. *Communes*, quae
in aliis retractus speciebus obtinent, heic militant,
(1) ut in urbibus et agris degentes beneficio situs ac le-gis

◎ 155 ◎

gis fruantur, cum et onera in illos recumbant. Nihil enim aequitati naturali magis consentaneum, quam ut is, qui sentit incommodum, sentiat etiam commodum. Recte itaque beneficio statuti gaudet nemo, nisi qui civitatis onera sustinet; uti adductis auctorum locis non paucis comprobat Pyrrhus Engelbermeus *ad Confuet. Aurel. Tit. 16, cap. 14.* (2) Ne ~~nu~~^{nu}n̄as inviti vicinum extraneum admittere cogantur; qui, si moribus fuerit difficilibus, molestus satis est: quae ratio vicinis omnibus jus congrui largitur. (3) Ut honestas, splendor et dignitas vici aut communilitatis conservetur; in qua ratione retractus gentiliter fundatur. Matth. Berlichius *P. II. Concl. 39, n. 19.* Proprie commemorandae sunt, (α) ut res publicis pensionibus obnoxiae ne imminuantur, sique jurisdictioni aliquid decedat. Andr. Gailius *L. II. observ. 19, n. 2.* (β) Ne bona tenuiorum transferantur in potentiores. Jac. Cujacius *ad b. 6.* (γ) Ne fisci rationes defraudentur. Nam, quemadmodum civibus, urbium habitatoribus, hoc a Constantino honoris habebatur, *I. un. C. de Capit. civ. censib. exim.* ne in censibus pro capitatione sua convenienterent, aut vita eorum taxaretur, uti loquitur Pacatus in *Panegyr.* Ita et pagi quidam, licet civitatum nomine non censerentur, illo tributo, quod pro singulis capitibus exigebatur a rusticis, *i. i. C. ne rus. ad ull. ib. devocen-* tur, liberati erant. Qui autem metrocomiae non adscripti, loca inibi et possessiones sibi acquirebant, sub specie liberationis a capitatione onera haec defugiebant, sique fisco damnum inferebant: id quod ne pos hac fieret, non hac tantum lege et *I. 8. C. de Exact. tribut.* cautum est; sed et alia Constantii A. et Juliani Caes. *I. i. Cod. Theod. de Patrocinis vicorum*, ubi, ut debita,

quaecunque vicani , quorum consortio recesserunt ,
e propriis facultatibus fisci docebuntur commodis intu-
lis , idem cogantur convicani reliqui expendere ; ac
tributi modum integrum solvere . Cui legi contraria
videtur l . un . C . ut nullus ex vicani . pro al . vicani . debitu ten .

III.

Ex dictis patescit , Imperatores h . I . de illo Re-
tractu , quem Dd . TERRITORIALEM vocant , de-
finire ; sed num directo de eodem hic agatur , an indirekte
et per consequentiam disputant . Prius communiter affir-
mant Dd . eosdemque sequitur Filiuc . tr . 35 . c . 10 . n . 229 .
et Berlichius loc . cit . hanc legem directo ad retractum
applicantes . Posterius placet Hahnio ad Wesemb .
L . 18 . tit . 5 . quia nihil hic dicatur de retractus jure ; sed
quod quibusdam personis vendenda sit res prae aliis .
Jus itaque praelationis in re venali habent μέτωπον
privative , exclusis omnibus aliis : unde sequitur , si
ris praetermissis , res venierit aliis , eosdem gaudere
jure retrahendi . Quicquid hujus sit , de retractu hic
agi , omnes consentiant ; cuius nunc explicanda esset
natura : sed otium nobis fecere innumeri auctores ,
quorum non paucos nominavit Lipenius in Bibl . Jurid .
voce Retractus . Breviter e Bozeti Class 3 . d . sp . 22 . tb . 9 .
Retractus territorialis definitionem repeto , quod sit ,
qui ex statuto vel consuetudine loci competit civibus vel in o-
lis , si res aliqua immobilia territorii suae civitatis vel pagi ,
in alium , quam qui ejusdem est civitatis vel pagi , alienata
fuerit .

III.

Ne quidquam praetervolasse videamur , M troco-
niae rarer vox enodanda . Accursius in glossa islam
dedu-

○ ○ ○

dedit a Graeco μέτρον, mensura, ut significetur villa
 mensurata, quae dabatur translatis iussu principis.
 Pro firmanda hac sententia rationem, ex antiquitate
 Romana petitam, afferunt alii, Romanis ex Romuli
 institutione in usu fuisse, ut populos bello subactos,
 quo facilius in officio continerentur, alio transferrent,
 novosque illis agros colendos assignarent, ac μέτρων
 quantum cujusque esset, describerent. Dionysius Ha-
 licarnasseus L. II. Livius L. I. c. 11. aliique. Sic Augu-
 stus Vbius et Sicambros dedentes se traduxit in Galliam,
 atque in proximis Rheno agris collocavit. Sueton. in
 vita c. 21. Quem morem post multa saecula, abductis
 a. C. 804. Saxonibus Transalbinis, imitatus est Caro-
 lus M. uti legitur in Annalibus incerti auctoris, a P. Pi-
 thoeo editis Ffti 1594. f. 8. p. 18, et in Vita Caroli M.
 ab eodem Pitheo conservata, p. 265. 266. Videtur
 autem Accursius in mente habuisse, quae de Metropoli
 scribit Isidorus Lib. VII. Etymolog. c. 12, et ex eo Gra-
 tianus inseruit Dif. XXI. c. 1, eam a mensura civitatum
 vocari. Sed in utraque voce priorem compositionis
 partem esse τὸ μέτρην, omnes hodie agnoscunt, qui levi-
 tantum Graecarum litterarum notitia tincti sunt. Vo-
 cula μέτρην, et Latina mater, ad multa alia transfertur,
 v. g. ad arbores pullulantes, observante Jano Rutgersio
Var. Lect. lib IIII. c. 16. Ita Plautus *Amphir. Act. I. Sc. I.*
v. 274. vitem vocat matrem vini. Alii pro matre dixe-
 runt matricem, quae vox, de arbore palmae usurpata,
 apud Suetonium in *Augusto* c. 94, itemque de columba
 et gallina, apud Columellam legitur. Sic ecclæsa ma-
 trix, per quam cathedralem cujusque loci, non Roma-
 nam intelligit Innocentius III. cap. Venerabili 22. *de*
Verb. sign.

V. Eta

Est itaque *unigenitalia* mater vicorum, Anglice, *the mother Churches*, villa major atque florentior, quae sub se plures pagos, vicos et arces, uni civitati subiectas, continet. Sic Nemausus viginti quatuor habebat *nūpās*, Strabo Lib. *III* Geogr. p. 129. Et qualis est metropolis, ex qua deducta est colonia, inter urbes; talis est metrocomia inter vicos, habentque se ut mater ad filiam. Majores hi pagi paullum infra urbis dignitatem habentur, cuiusmodi hodiendum in Mediolanensi agro dari, et vernacula simplicitate *capita plebiā* appellari, scribit A. Alciatus ad b. l. In iis non Episcopi, sed Chorēpiscopi et *περιοδευταὶ*, i. e. circuitores, l. 16. et l. 33. Cod. Theod. de Episcopis, Eccles. et Cler. instituti olim, ut Can. 75. Concilii Laodicensis, Can. 6. Concilii Sard. et alibi. Conf. H. Spelmannus *Glossar. Archaeol.* Frid. Lindenbrogius in *Glossario ad Legum Antiquarum Codicem*, voce *Chorēpiscopus*. Nomen etiam habent *ἄρχων τῆς χωρᾶς*, auctore Damaso in verbosa quadam epistola, quasi *χωρικός* i. e. rustici episcopi: quia non in civitate, sed per vicos et pagos munus episcopi quadantenus gerebant. Franc. Duarenus *Comm. de Sacr. Eccles. Mirif.* L. I. c. 9. Ceterum Metrocomiae forum suum habebant, Paulus *L. III Sentent. tit. 6.* curiam et curiales, Salvianus *l. 5.* de *Gubern. DEI*, annotante Jac. Godofredo. Alciatus easdem S. Marco c. 1. v. 38. dici putat *κωμοπόλεις*. Has *nūpās* florentiores, jure urbium donatas, amplissime excrevisse, atque Euripidi de Euboea scribenti: Εὐβοὶ Ἀθῆνας ἐστὶ τὸ γένιτων πόλις, urbium nomine appellata, notant Pollux et Harpocration. Imo *unigenitalis* dignitatem tandem esse consecutas, patet e strabone, qui

○ 19() ○

qui loc. cit. Viennam pagum quidem, metropolin tamen Allobrogum dici memorat: Καὶ εἰ μὲν ἄλλοι, scribens, κα-
μπὸν ζῶσι, οἱ δὲ ἐπιφανέστατοι τὴν Οὐίενναν ἔχοντες, καὶ μη
πρότερον οὖσιν, μητρόπολιν δὲ ὅμως τοῦ Ἐνευρετοῦ λεγομένην
καποκεντάκιον πόλιν.

VI.

Qui eidem metrocomiae erant adscripti, Vicarii vocantur h. l. Atque ita Festus, voce vici. Vicarii quidem Comitum, Praefectorum et Judicium non ignoti, tum e l. 32. C. de Appell. et Nov. 8. tum e V Valafrido Strabone de Reb. Eccles. Gregor. Turon. Hist. Lib. IX. cap 5, Cassiodoro, qui Gemelli meminit, vicarii praefectorum in Gallis ad exercendas iustitias; et aliis. Gallice in Languedociae et Provinciae finibus, ubi a Theodorico rege Ostrogothorum constituti feruntur, Viguiers audiunt; unde candente Latinitate Vigerius, ut scias, a Vicarii nomine vocem detortam, consentiente Steph. Pascasio dans les Recherches L. II. chap. 14. At de his in l. nostra sermonem non esse, aperte constat. Rectius ergo Vicanei tum hoc, tum tit. seq. legitur: *Vi nullus ex vicaneis pro alienis vicinorum debitis teneatur.* Hi sunt κομητοὶ ac μητροκομῆται. Κωμῆτῶν nomine cave intelligas Comitianos, h. e. officiales comitum privatorum vel largitionum, vel domorum, uti vult Haloander, secutus interpretem Latinum Novellae 38. c. 6. Vicani potius aut vicanei pro sociis ejusdem vici, ac curialibus sunt capiendi, uti ea vox passim ita legitur tum in Codice Theodosiano, tum Nov. 32. c. 1, quae de legitima interpretatione nos dubitare non sinit, ubi Imperator: *Neque in agris, ait, neque in civitatibus, neque in vicis, neque in civibus, neque in vicaneis, neque in agriculturis.*

VII.

Vicanis opponuntur Extranei, qui in tabulas me-

B

troco-

trocomiae non sunt relati. Generatim ita dicuntur, qui non eadem societate juncti sunt. In jure nostro noti sunt *beatoes extranei*, quorum numero habentur *privigni*, Magn. Dn. Röslerus *Decis. Jur. Saxo-Coburg. Sect. V. Dec. 15.* n. 81. itemque uxores ac viudae, Menoch. *L. IIII. Praesumt.* 89. n. 117. Neque probatis atioribus haec loquendi ratio displicuit. Suetonius Augustum commemorat, filiam et neptes extraneorum coetu prohibuisse, *in Vit. c. 64. add.* l. 30. *C. ad L. Jul. de Adulter.* Jul. Pollux *Lib. III. c. 4.* ἐπίλυδα et ἐπλήγη, advenam, extraneum, inter alia, quae civibus opponuntur, vocabula enumeravit; longum enim ibi Synonymorum catalogum necit. In Feudis extraneus censetur, qui in prima investitura non comprehenditur. *J. Cis laepius cognominatur forensis*, qui venit ad locum, ubi forum non sinitur, etiam si suus pater cum descendentiis civitate donatus fuerit, dummodo tum praefens non fuisset, vel postea fidelitatis sacramentum non praestiterit. *Decius in Epitome Conf. 661.* Hic ergo extraneus non est de corpore civitatis, vici vel castri, adeo que nec iisdem statutis utitur, nec oneribus, quibus πέτρικοι gravantur, subjectus.

VIII.

Statuto itaque vel consuetudine sustinetur hoc jus, et validum est, Decius *l. cii. n. 1.* ibique allegati. J. P. Surdus *Conf. 844. n. 8.* Berlich. *Concl. 39. n. 14.* Perez *ad Cod. b. iii. n. 2.* et prae ceteris *Tiraquellus de Viroque Retraictu*, *prae f. n. 14.* A. Gaiius *Observ. Pract. L. II. obs. 19. n. 2. 3.* Mevius *ad J. Lubecensem L. III. sic 7. art. I. n. 3. 4.* Municipalia siquidem statuta etiam contra jus commune valent per *l. 32. D. de LL. Ph. Decius Conf. 486. n. 9.* Casp. Klock. *T. III. Conf. 101. n. 379;* modo a superiori sint confirmatae. Jo. Gryphander *de Witchbildis Saxon. cap. 77. n. 9. 10.* Tu videois Mevium *l. c. Part. I. qu. 2. n. 61.* ubi hanc questionem, num Statutorum confirmatio sit

neces-

¶

necessaria? ventilavit. Add. idem P.I. qu.5. n.12.13. Et in
summis Imperii Judiciis rata habentur, cum illa, quae nul-
litatem actuum et contractuum respiciunt; etiam forenses
atque ignorantes ligent. Gail. L.I. Decif. 31. n.25-29. Hinc
factum est, ut tam in Germania, quam extra illam ejusmo-
di statuta, res immobiles extraneo vendere prohibentia,
conderentur, ut Rhegii in Italia, Decius Conf.661; in Sa-
baudiae provincia Augustanorum, Cod. Fabr. L.4. tit.36.
def.14. Friburgi, Zasio auctore, ut ipse testatur n.2. in l. mul-
tum interest. 34 D. de V. O.; in Palatinatu superiore, Churz-
Fürstl. Pfalz-Fürstenthum in Ober-Bayern Lands-Ord-
nung Tit.14. n.3.4. Et Statuta MS. Coburgensia hac de re
disponunt art.5: Wie denn nicht verstattet wird/dass einig-
er solche Häuser / (so innerhalb der Stadt Markt und
Weichbild gelegen) besitze oder an sich bringe/ er sey dann
ein geschwohnner Bürger. Es erlange denn einer bei Raht
durch Bitte soviel/dass man ihm gegen gewisser Gestalt und
Geldunge dergleichen Häuser eines zu bewohnen vergön-
stigte / auf welchem Fall derselbige aller bürgerlichen
Handthierunge und Gewerbs sich äussern/ die gewöhnliche
Onera tragen helfen / und gegen dem Raht der Gebühr
nach sich verhalten solle. art.7. n.8. Wie denn deren allen/
so nicht Bürger/ seinem verstattet wird/ etwas von bür-
gerlichen Gütern an sich zu bringen. n.9. So hat auch nie-
mand Macht/ seine Güter/ so Rahts-Lehen/ einem andern/
der nicht Bürger/ ohne Vorwissen und sanderbare Er-
laubnis des Rahts/ zu verkaufen/ verpfänden/ oder Be-
standsweiss zu verlassen / es seye Wohnung oder andere
Nutzung: denn solcher Contract an sich selbst nichtig/ und
iederzeit als unkösig zu rescindire. Illustris quoque
Noribergensium Senatus prudenter sancivit, quo litigio-
rum incommoda in herba, quod dicitur, suffocarentur, ut
terum quarumcunque, quae moveri non possunt, posses-

fores easdem ne fine Senatus speciali consensu alii quam civium cuiquam vendant. Casus hic habemus in terminis. Etenim idem in *l. nostra metrocomiae habitatoribus* praecipitur.

IX.

Secundum haec dicendum, modum in statutis praescriptum, formam dare contractibus atque essentiam, Pecius *Cons. 455. n. 7.* sive, ut Athalarici Regis verba sunt in edito apud Cassiodorum *L. IX. epist. 2.* contractum dici non posse, nisi qui de legibus veniat. Adeoque qualitas statuto expressa, nec tamen observata, actum ipsum illegitimum et nullum reddit. Lex enim magis est domina rerum nostrarum, quam nos ipsi, Grotius *de J.B. et P. Lib. I. c. 1. n. 6.* Cujus rei aquitas nititur brocardico illo, §. 2. *I. de his, qui sui vel al. jur. Expedit reipublicae, ne sua re quis male utatur.* Idque eo justus videtur, si quid disertis verbis et formaliter prohibeatur, cum praeceptorum negativorum vis longe maxima sit quolibet tempore, secundum doctrinam Scholasticorum, quam repetunt Grotius *L. II. c. 16. §. 29.* Pufendorfius *de J.N. et G.L. V.c. 12. §. 23.* limitat Thomasius *I. I. D. Lib. II. c. 2. §. 134. sqq.* At vero etiam tacita prohibito, quae inest omni iussioni, sufficit, uti in retractu consanguinitatis patet, qui solo fere hoc fundamento sustinetur, Huber *Prael. et. ad D. iii. de Resind. Vend. §. 15.* Haec quidem nullam habent difficultatem.

X.

Quod si vero forensi cuidam subhastitutionis lege addicatur soli possessio? Hic quoque contractus irritus est: (1) quia et haec venditio species est contractus, Molin *ad Cons. Parif. tir. I. §. 22. n. 66.* (2) quia in omni emtione venditione mores civitatis sunt inspiciendi: ubi hi negliguntur, illa nulla est; secundum regulam Pauli *1. 34. §. 1. D. de contr. emt.* Vnde Dominii definitio, quam Aristoteles ponit

ponit Rhetor. Lib. I. c. 5, "οταν οφ' αυτων απαλλογησαι,
cum grano salis intelligenda est, nisi vel pactum vel
testamentum vel lex alienationem inhibeat. I. ult. C. de
rib. alien, non alien. (3) quia is, qui sciens contra le-
ges contrahit, alterius jura interverttere laborat, adeo-
que in mala fide est. Malae autem fidei emtio irrita pro-
nuntiatur l. i. C. de Resc. vend. Jus enim publicum privato-
rum pactis mutari non potest; per regulam Papiniani l. 38.
D. de Paci. Talis vero alienatio, in fraudem legis facta, ipso
jure nulla est. l. 16. D. de Jur. Patron. Fit illud, quando actus
geruntur inter personas prohibitas. Neque obstat, quod
in publicis subhastationibus emtor cum solo judice ne-
gotium publice gerit, et ab illo solo emit. In illis enim
consuetudines non cessant; imo non aliter subhastationes
celebrari possunt, quam iis observatis; sive licitatores
juribus tenentur communibus, per quae, qui cum alio
contrahit, non est, vel non debet esse ignarus conditionis
ejus, l. 19. D. de R. J. Molin. L. cit. iii. 2. §. 54 n. 22. Vnde cum
alias per addictionem traditio statim facta censeatur,
Berlich. P. II. Concl. 30, n. 63, quoniam vero integer actus
est illegitimus, violans formam, per traditionem sanari
non potest. Vitiosum enim ab initio, non potest tractu
temporis convalescere. l. 29. D. de R. J.

XI.

Neque sacer Ecclesiasticorum ordo contra statuta
terræ ac possessiones suas alienare, neque in ejusdem
ordinis socios, sub alterius jurisdictione degentes, trans-
ferre valent ullo titulo. Berlich. l. c. n. 41. et 96. ubi pre-
ter alios Matthaeum de Afflictis de J. Proimiseos citat,
qui rationibus adductis, hanc sententiam communem
dicit. Add. Bocerus l. cit. ib. 20. qui speciatim in bonis
monasteriorum ducatus VVürttenbergici retractui locum
esse, triplici causa probat: (1) quia statuta generatim lo-
quantur de praediis; unde ecclesiastica excludi nequeant;

B 3

(2) quia

(2) quia Abbates illa approbarint; (3) quia praedia monasteriorum, secundum Recessus Imperii, sint de provincia Principis. Et certe Alexander III. P.M. terrae consuetudinem esse diligentius attendendam, praecipit c. 3. *de Donat.* Non est igitur, quod objicias; Clericos ab obligatione statutorum immunes esse, utpote quae laicos solum respiciant ac ligent. Ph. Decius *Conf. 150. n. 2.* Talia siquidem statuta non tam privilegia clericorum constringunt; neque enim adimunt facultatem alienandi: quam potius, quibus bona olim quaesita vendant, disponunt, ne fiat praejudicium domino territorii, aut juribus ejus; quae illimitata eiusmodi venditione detrimentum omnino ac imminutionem paterentur. Illius vero damna facile in ipsam Ecclesiam redundant. Recte proin idem Decius *Conf. 282. n. 8.* illa statuta tanquam favorabilia etiam in ecclesiasticis obtainere pronuntiavit. Add. *Conf. 455. n. 11.* *Conf. 269. n. 7.* *Conf. 293. n. 6.* Ceterum et illud adnotasse non ab re erit, tum in Germania, edicto Caroli V, tum in Gallia, uti est apud Car. Molinaeum *tit. I. §. 13. gl. 1. n. 1.* et alibi cautum esse, ne ecclesia vel loca pia citra superioris domini consensum praedia acquirant aut retineant; quae a dominio principis exenta, manus mortua fient, sive admortizarentur. Pet. Peckius *de Admortizat.* cap. 10. apud Ant. Perez *ad tit. C. de SS. Eccles.* n. 11.

XII.

Extraneorum vox num ad principis aut reipublicae ministros, consiliarios ac reliquos officiales, item ad professores Academiarum extendi, inque illos jus retractus exerceri possit ac debeat, ventilatum est. Bocerus *ib. 16.* contra illos statuit, cum officiales aliunde accersti, neque civium neque incolarum jura sibi acquisiverint. Per cives autem intelligit urbium, per incolas, pagorum habitatores; et utrisque extraneos opponi aferit, contra juris

juris usum, in quo incolae sunt, qui civium numero non adscripti, pro civibus se gerunt, habitantes manendi animo intra eosdem muros, l. 29. l. 35. l. 37. D. ad. Municipal. l. 7. C. de Incolis, l. 11. C. de Appell. Neque metus iste, ne tenuiores, ipsi potentiores bonis suis exturbent, contra illos quidquam valet; iste enim praesens esse debet, non suspicio inferendi ejus, l. 9. D. Quod metus causa. Cessante autem ratione legis, cessat legis dispositio, quae illos a possessione honorum immobilium arcebat. Everard. in Topic. Legal. loc. 80. a cessatione legis. Quando itaque personae hae publice utiles non raro pro totius regionis salute excubant, aut tali funguntur officio, ex cuius administratione non minima in rem litterariam Ecclesiasticam, civilem, adeoque in totam ~~politicam~~, redundat utilitas; merito tot curae, labores ac vigiliae aliquo beneficio sunt compensandae. Nec amplius extranei, quamvis tales sint origine, videri possunt, qui tot nexibus corpori cuidam sunt innexi et obligati. Athenienses Attico, bene de se merito, honoris non oneris ergo, ius civitatis deferebant. Et alibi Professores, tanquam honorarii, civium numero adscribuntur. Neque vero oneribus realibus exempti sunt, quae omnino praestare tenentur. Aequissime Statuta Coburg. art. III. n. u. disponunt, es pflege der Naht unter weilen mit Fürstl. Herren Nächten und vornehmen Officern/ do sie aus erheblichen Ursachen das Bürger-Recht an sich zu bringen / Gedanken tragen / eines jährl. gewissen Gedings/ nach Gelegenheit des Gutes/ so sie erkauzen/ an statt der gewöhnlichen Onerum, sich zu vergleichen.

XIII.

Quae situm est ulterius, annon testator in heredes, societati civium, in qua ipse vivebat, non adscriptos, bona sua transferre possit, praecipue eos, qui jure communia aut statutario alias ab intestato fuissent successuri? Dd. plerumque

rumque affirmant. Militant hic rationes, quae retractum consanguinitatis firmant, quod primarium illius juris requisitum deficiat, nempe ut verus contractus fuerit celebratus, Magnif. Dn. Rösler Sect. V. Dec. 22, n. 10, et quod retractus non habeat locum in ultima voluntate ac legato, idem n. 11. Confirmat et Zasius ad 134. D. de V.O. n. 4. p. 187. 188. 189, evincens, legatarium posse accipere rem, cuius non habet commercium. Speciatim l. nosfr. de contractibus tantum disponit: *per qualem unque contractum.* Quicquid autem lege non expressum, id nec mutatum intelligitur, 132. §. ult. C. de Appell. Rationes plures si desideraverimus, Ant. Perezius illas dabit: quod institutus, alio sicut loco habitans, pro extraneo tamen non habeatur: ideoque prohibitus qualicunque contractu terras sibi emere metrocomiae, non prohibeatur hereditati, a majoribus ad se devolutae, se immiscere. Comprobat hoc (1) argumen-
to, a provinciae praefidibus et militibus deducto, quibus utrisque interdicta erat praediorum acquisitio ejus provinciae, in qua officii administrandi causa degebant, ne studio agriculturae negligentius rem publicam curarent. Et tamen praedia avita hereditario non solum jure possi-
dere, sed et numerata pecunia aliove contractu sibi acqui-
re valeant, 1. 62. D. de Contr. emi. 1. 9 et 13. D. de re milit. quia non tam videntur ea acquirere, quam retinere, aut a fisco forte occupata redimere. (2) Favorem familiarum ac dignitatum conservandarum allegat, de quo Tiraquell. de Retractu praeſ. n. 45. et §. 1. gl. 9. n. 102. Atque hic favor pluri-
mis locis attenditur, cum lugubre sit, videre antiqua ma-
jorum praedia in externas manus transfire, Gail. loc. cit.
n. 1. 2. cum aliqua tamen moderatione, quam Status Imperii suo jure adhibent. Sic memini in causa B. S. contra S. a Supremo Judicio Aulico Viennensi pronun-
tiatum, ut B. S. horti in suburbio N. hereditatis jure in
fe de-

se delati, usumfructum haberet; et dominium penes S. civem N. remaneret. Qui vero habet usumfructum, non est possessio rei ipsius, l. i. §. t. D. Qui satisd. cog. licet sit servitutis. Fridericus Elector Palatinus in der Lands-Ordnung tit. 14. n. 4. disponit, extraneos in bonorum immobilium possessionem non immittendos, sollehen anderer Gestalt nicht beharrlich fähig seyn / nisi in Electoratum commigrent, ibidemque domicilium fortunarumque suarum sedem figant. Alias intra bienium vendere coguntur eadem, hastae subjicienda, si moras nectere intendant forenses; quibus pretium restituitur. Vid. Mevius ad J. Lubec. L. I. Tit. II, art. 5. n. 49. 89. sq.

XIII.

Ex dictis abunde patescit, quid de illa consuetudine sit habendum, qua testatoribus facultas admittitur scribendi sibi heredem forensem, et si sanguine junctum. Nihil est, quod magis hominibus debeatur, quam ut supremae voluntatis, postquam jam aliud velle non possunt, liber sit stilus, et licitum, quod iterum non reddit, arbitrium, l. i. C. de SS. Eccles. Publice etiam expedit, suprema hominum judicia exitum habere, l. s. D. Testam quemadmodum aper. nisi praesens metus nimiae potentiae, t. t. C. ne lic. potent. aut litigiorum cumulantur turbationis in republica aut jurisdictione obfit. Tunc enim alienationem testamentariam optimo jure inhiberi, post Decium aliosque respondit Menoch. Conf. 350 n. 29. apud Klockium T. III. Conf. 149. n. 208: quale et statutum Reginenstium supra ex Decii Conf. 661. retulimus. Tale est jus Albinagii in Gallia, quod alienigenas a possessione fundorum in regno itidem excludit: de quo jure, si DEVS vitam viresque concesserit, peculiari tractatu uberioris agemus. Hoc

C

loco

loco illud obiter moneo, Julianum Taboetium *in Paradoxis Reg. P. 3. p. 156.* patrocinium eidem quaequivisse in h. l. nostra, et originem inde deduxisse: quam bene, aibi dicendi locus erit.

XV.

Ceterum quamvis duriores videantur istae sanctorum, quibus fisco applicantur bona illorum, qui in fraudem statuti quidquam rerum, quae mori nequeunt, transferre conantur in alienigenas: valere tamen eas, ambigendum non est per ea, quae tradit Decius *d. loc. n. 3.* Aequitas earundem inde elucet, quod is, qui statuti hujus non ignorans, talia sibi bona comparat, quorum testamento transferendorum jus est ademtum, amittendi animum, adeoque rem pro derelicta habuisse censeatur in casum, quo illa vendere seu alienare neglexit eo jure, quod vivus habebat; Caduci autem successor fiscus est, vacanteque hereditatem occupat, *t. r. D. et C. de J. Fisci.* Intestatorum res, qui sine legitimo herede decesserint, fisci rationibus vindicandas, rescribunt Imp. Diocletianus et Maximianus AA. et CC. ad Eucharium *I. i. C. de Bon. Vacant.* Et speciatim de praediis κωματῶν, jussu principis in aliam civitatem translatorum, si ab eis distracta non essent, antequam demigrarent, idem disponunt Imp. iidem *I. 4. C. de J. Fisci,* qua tamen liberis e paterna civitate alio discedentibus, in bona parentum ibi relictorum, succedendi jus salvum esse volunt atque illibatum. Nostra lex mitior est, atque contractum irritum declarat: uti enim de facto processit conventione, sic etiam rescindiur, Naevius *ad h. l.* Id quod apud omnes feruntur, nationes obtinet. Ratio diversitatis haud difficilis. in-dagatu. Illis poenae caussa jus metrocomiae auferebatur; unde per tit. *C. Ne filius pro pare, liberis prospectum*

ctum est : his poena jam est , quod priventur utilitate sperata , et carere debeant eo , quod interest : et si annulatio per se non sit poena . Mascal . de Genro . Statut . interpr . concl . 9 . n . 44 .

XVI.

Emtori vero , etiam scienti , pretium esse restituendum , aequitatis est , per l . b . et l . 34 . D . de V . O . ac prudentiae , ne semina discordiae inter vicinos alantur . Egregie haec illustrantur a Barbayracio , qui eruditus in notis ad Pufendorfi L . 3 . c . 7 . § . 6 . scribit : Si juris civilis dispositio in contractu laesa sit , videndum est , utrum cum extraneo , an cum ejusdem reip . cive conventio illicita fuerit inita . Si cum extraneo , qui istas leges scivit , actum sit , et ipse conventionem quae siverit , neque ad satisfaciendum contractui , neque ad praestandum interesse alteri adstringitur civis : sed si hic conventionis initiae causa fuerit , ad praestandum id quod interest , obstringitur ; quod eo magis observandum , si extraneus illas leges ignoraverit , nisi post conventionem latae fuerint : tum enim nec ad praestationem ejus , quod interest , civis adstringi potest . Haec Barbayracius , ad mentem d . l . 34 . D . de V . O . Nec tantum pretium numeratum , sed et arrha data , et summus interea in rem facti , compensandi sunt . Lex nostra , si quid praestitum est , hoc tantum reddi jubet . Quae vis sit particulae exclusivae , legas , quae so , apud Richter . de Particulis Juris p . 794 . At expensis tempore contractus factis excidit ; quaes in retractu vicinitatis a retractante alias refunduntur . Gail . l . alleg . n . 9 . Neque obstat l . 7 . C . de Agric . Cens . et Colon . Malae fidei possessorem esse nullus ambigit , qui contra legum interdicta aliquid mercatur ; adeoque emtor pretium , quod dederit , amissum existimet : quo casu non venditori , sed

sed filio, illud cedere, scribit Accursius *ad l. pen. C. de rescind. vend.* Alia enim ratio hic subest. Nam de servis originariis ac censitis ibi sermo est, qui glebae additi fundum dominis colebant. Illius itaque cultura ut ipsis adimeretur, male res dominicas administrabant, sicque fundo ipso debilitato, tributa publicis periere functionibus, *l. 8. C. d. i.* quod ne fieret, aliter caveri non poterat, quam si emtores non invenirent. Proinde hi, tanquam collusores, ex proprio delicto puniendo erant. Conf. Cujacius *ad l. 1. C. de Præc. Detur, sine decr. non alien.*

XVII.

Plura addenda superessent, quae commodiore tempore excutiemus. Nunc coronidis loco illud addo, *l. 8. C. de Exact. Tribut.* legis nostræ auctores, Leonem et Anthemium, concedere speciatim divinae atque imperiali domui, ut acquirat extra metrocomiam fundos, modo impositas reipublicæ functiones agnoverit, quemadmodum prior dominus dependebat. Quam legem cuma hac nostra, velut unius constitutionis partes, conjungendam esse, monet Jac. Godofredus *ad l. 6. C. Theod. de Patrocinii vicorum.* Quod si vero tributa solvere detrectarit, rem illam ei auferendam, atque Curiae assignandam. Sed in quantum derogatum sit huic legi, dictum est §. XI, in fin.

T A N T V M.



ULB Halle
001 972 26X

3



5,6,

Inches	1	2	3	4	5	6	7	8
Centimetres	2.54	5.08	7.62	10.16	12.70	15.24	17.78	20.32
Blue								
Cyan								
Green								
Yellow								
Red								
Magenta								
White								
3/Color								
Black								

Farbkarte #13

B.I.G.



1715, 8
358
42.
9
3
102.

IN AVGVRALIS
IC HABITAT.
HAE LOCA
TRANEVM
TERRE,
M
IFICENTISSIMO,
LVSTRISSIMO DOMINO,
IN O
WILHELMO,
DE BOINEBURG
CATHOLICAE MAJESTATIS
RARIO, NEC NON METROPO-
LOGVNTINAE ET TREVIREN-
SENIORE, ET RESPECTIVE SV-
EMINENTISSIMI PRINCIPIS
ONSILARIO INTIMO, AC
IQVE ERFORDIENSIS
NCIPE,
M A GERANA,
ORVM ORDINE
IENTE,
UTRQVE JVRE
T PRIVILEGIIS
RANDIS,
. A. 1715 1700 200
E CONSVETIS
PROPOSIT
CHIVS, COBVRC.
ERTHERI, ACAD. TYPOG. ADJ.